

duas bestias immanissimas acutissima cornua habentes deputatus sum, quae me suis cornubus indesinenter laniant. Nam et Theodulfus frater noster dudum defunctus in simili tenetur paena, quia mihi per omnia paene similis fuit¹ in vita. Post dorsum quoque meum stat unus immundorum spirituum, qui easdem quoque bestias in me incitat. Nam quando dicit: Sturmate!, tunc mihi imminet acutissima paena'. — Me autem hoc verbum nunquam antea audiente, interrogavi, quid hoc esset? Qui ait: 'Sic apud tortores loci huius dicitur perforare. Nam quando hoc dicit, imperat bestiis suis me cornibus perforare'. Ego vero dixi: 'Est tibi alia adhuc paena?' Et ait: 'Est quoque et bis longe incomparabiliter crudelior'. Cui dixi: 'Quae?' Et respondit: 'Terrificatio tonitru'. Me autem hoc non intelligente, interrogavi, quid hoc esset? Qui ait: 'Ante faciem meam stat terribile tonitru'. Interrogavi, si ipse tonitrum videret? Ait: 'Video et terrorem eius paene plus omnibus paenis metuo'. Et ego: 'Quale', inquam, 'est?' Et dixit: 'Nubes est nimia obscuritate densissima et omni formidine plena. Infernus enim est, ad quem semper faciem meam teneo et eam in aliam partem avertere nequeo. Ex ipso autem procedunt iacula ignita, quae faciem et anteriores partes mei corporis indesinenter transverberant. Et si credi potest, plus me visionis eius terror cruciat, quam ignis exurat. Post tonitrum autem est omnis iocunditas et splendor inaestimabilis, a quo ego miser miserabiliter exclusus sum. Ibi quoque stat unus angelus benignus, qui et iacula ignita et fulgura in me saevientia et terrores tonitru, eundem quoque diabolum, qui bestias in me concitat, sua virtute moderatur, nec plus sevant, quam ab ipso permittuntur. Heu, heu michi! Sicut totus fui in vitiis, ita totus sum coartatus in paenis. Nam ante faciem meam terrores tonitru, coruscationes ac fulgura, ignita quoque iacula tolero, post dorsum diabolum sentio, ab utroque latere singulas bestias in me sevientes aspicio'. Interrogavi illum, si esset illi vel modica requies aliquando? Ille vero ait: 'Utique; parva tamen ad comparisonem tam ingentis paenae'. Cui ego: 'Qualis tibi requies est?' Et dixit: 'Quando aliquis in me misero misericordiam faciens Domino pro me toto corde orat, et bestiae me minus lacerant, et fulgura vel iacula, terrore tonitru remanente, quiescunt, et odorem angeli, qui stat post tonitrum, sentire possum, cuius incomparabili odore cuncta haec, quae

1) 'sunt' Hs.